



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. II. Quibus modis deleatur Peccatum veniale.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

temporalis, & nunquam posset taxare poenam aliquam temporalem, quin simul praeferret liberè beneficium remissionis: consequens videtur absurdum; qui enim praeferat beneficium vnum, potest vtrique negare aliud distinctum, sed remissio poenae aeternae est beneficium, ergo debet posse praestari secluso alio novo, nempe remissione poenae temporalis. Hac obiectio cessat secundum primam rationem ex Recentiore superius relata. Praescindendo tamen ab illa,

Respondetur concedendo primam consequentiam, negando hoc esse absurdum in collatione illorum beneficiorum, quae consistunt in remissione certi debiti praecise in ratione debiti tantum. v.g. si dominus promitteret servo, nolle se servitorem continuare per annum, non potest beneficium manumissionis exequi, quin plus praestet quam ad quod tenebatur vi promissionis: quocumque enim die manumitteret, potuisset sine violatione promissi aliquantulum continuare, quin perveniret ad annum.

CONTROVERSIA II.

Quibus modis deleatur Peccatum veniale.

945. Dicendum 1. Peccatum Veniale potest per Pœnitentiam deleri tam quoad culpam quam quoad poenam, sine Sacramento Pœnitentiae etiam in voto. Probat. Peccatum Veniale potest extra Sacramentum Pœnitentiae deleri, constat ex Tridentino sess. 14. c. 5. Quod autem tunc non sit necessarius actus, qui contineat votum Sacramenti Pœnitentiae in ordine ad Venialia, patet, quia confessio Venialium non est sub precepto: ergo contritio v.g. quae quis dolet de Venialibus, non est votum Sacramenti: in tantum enim est votum Sacramenti respectu Mortalium, in quantum est voluntas servandi omnia praecepta, inter quae etiam est obligatio confitendi venialia, non est votum Sacramenti necessarium.

Dicendum 2. Tametsi actus dilectionis Dei qui sit vel formalis vel virtualis retractatio alicuius peccati Venialis, sufficiat ad delendam culpam, non est tamen tam perfectus actus necessarius. Primum membrum communiter à Doctoribus supponitur, excepto P. Arriaga, & probari solet à fortiori: sufficit enim ad delendum mortale, quod est difficilius remissionis. & sanè est actus valde heroicus, quo quis amore Dei non solum respuit omnia quae opponuntur amicitiae divinae, sed etiam illa quae non opponuntur. ergo rationabiliter dicitur, Deum talem actum acceptare pro remissione culpa, praesertim cum sit hoc valde ad mentem Tridentini, dicentis, multis modis posse Venialia extra Sacramentum deleri; non apparet enim nobilior modus.

Secundum membrum Conclusionis probatur ex verbis Tridentini, dicentis, 14. c. 5. peccata Venialia taceri citra culpam in confessione, ed quod multis alijs remedijs expiari possunt: unde subsumitur, atqui si Contritio esset determinatè necessaria, non apparet pluralitas aliorum mediolorum, quibus expiari possunt.

946. DICO 3. Non videtur quavis attritio etiam supernaturalis extra Sacramentum sufficere ad delendum peccatum veniale. Hac Conclusio est contra P. Suarez & P. Dicastillo. Probat. ex sensu communi fidelium, existimantium, in Sacramento Pœnitentiae remitti culpas veniales, non solum quando simul cum mortalibus exponuntur, & homo est in statu peccati mortalis, sed etiam quando sola venialia confitentur, & sumus in statu Gratiae: atqui nunquam hoc fieret, si vera esset sententia Suarezij, nam semper praecederet attritio; peccata enim non possunt remitti per Sacramentum Pœnitentiae, nisi praecesserit eorum retractatio: si ergo haec sufficit ad delendum peccatum Veniale, iam absolutio inveniet peccatum deletum per attritionem: ergo absolutio nunquam delebit primum. Responsiones varias adhibet huic argumento P. Dicastillo, quibus bene quidem videtur, adhuc utiliter fieri confessionem venialium, etiam si supponatur remissa, sed non satisfacit sensui fidelium, arbitrantium ea remitti frequenter primo per ipsam absolutionem.

DICO 4. Nunquam videtur remitti culpa venialis sine aliqua peccati retractatione, saltem virtuali. Est contra Suarez & Arriagam, qui putant, in susceptione alicujus Sacramenti, v.g. Confirmationis, Eucharistiae, &c. deleri Venialia sine positiva retractatione, modò adit negatio actualis complacentiae. Ratio est, quia de lege ordinaria tamdiu non dimittitur peccatum, quamdiu manet voluntarium habitualiter, hoc est non retractatum, nec ex vilo solido fundamento potest probari haec virtus Sacramentorum, ut supplere possint retractationem. Porò hunc sensum fuisse etiam tempore S. Augustini, non obscurè colligitur ex libro de vera & falsa Pœnitentia c. 8. ubi dicitur de Venialibus: [Est enim Pœnitentia assidue peccantibus assidue necessaria; in multis enim offendimus omnes, quae quotidie remittuntur, si semper deplorentur.] Eadem mens videtur fuisse S. Thomae, qui adeo persuasum habuit, sine retractatione non dimitti etiam Venialia, ut q. 7. de malo a. 11. in fine C. requisiverit etiam in animabus purgatorij, decedentibus cum veniali in hac vita non retractato. Clarius nostram Conclusionem supponit q. 87. a. 3. in C.

947. Dico 5. Probabilis valde est Sententia Turriani, & Card. de Lugo, pro diversitate Venialium requiri & sufficere diversitatem attritionis extra Sacramentum, praesertim si attritio vestiat alijs pijs operibus, vel sit ex nobiliore motivo, vel cum majore intensione & fervore, vel diuturnior, vel repetita, &c. ita ut respectu gravioris

ris peccati Venialis alia perfectior requiratur, vel insuper aliud pium opus, v.g. oratio aliqua Ecclesiae, qua petitur venia, vel elemosyna, vel humiliatio coram nostro proximo, auditio, & oblatio Sacrificij Missae. Probabilitas Conclusionis inde colligitur, quod probabile sit, non sufficere quamvis attritionem, ut dixi Conclus. 3. nec etiam semper requiri perfectam Contritionem. Congruentia vltior est, quia Deus pro mortali vult sufficere perfectam Contritionem extra Sacramentum: ergo pro veniali videtur imperfectiore actu contentus esse. Quia verò vnum veniale est altero levius, congruum erat, etiam intuitu huius discriminis plus pro vno quam pro altero requirere.

Dices, attritionem sufficere extra Sacramentum Pœnitentiae, si conjungatur cum alijs Sacramentis, v.g. cum Eucharistia, extrema Vnctione, Confirmatione, &c. & sic adhuc saluatur, quomodo sæpè venialia dimittantur primò etiam sine mortalibus in Sacramento Pœnitentiae. Ergo non est necesse admittere, quod Attritio aliquando extra omnia Sacramenta sufficiat. R. Concedendo non esse necessitatem; sed tamen dico esse probabilitatem, quia sic melius intelligitur dictum Tridentini, quod extra Sacramentum Pœnitentiae multis alijs medijs deleantur venialia. Videtur autem hoc dictum non adstrinxisse ad solos casus quibus aliud Sacramentum frequentatur, alioquin hoc probabilissimè monuisset. & cur non accessio aliorum operum piorum possit supplere insufficientiam attritionis? & hæc est expressa mens S. Thomæ q. 87. a. 3. in C.

Certum præ alijs remedium est Eucharistiae sumptio, juxta Trid. sess. 13. c. 2. cujus elegantem rationem reddit Lugo, quod etiam amici terreni soleant in convijs leviores offensas dimittere, & quod de ratione cibi sit reparare, quæ per continuum contritorum pugnam deperdimus. De alijs Sacramentis & remedijs plura videri possunt apud Suarez, Lugo & alios.

CONTROVERSIA III.

Virum peccata redeant per lapsum.

948. Status questionis est, an postquam peccata remissa sunt quoad reatum culpæ, & titulum odij, si homo de novo peccet, redeat reatus culpæ, & titulus ille odij, ita ut Deus odio habeat non solum ratione peccati de novo commissi, sed etiam intuitu peccatorum priorum, & semel dimissorum. Affirmarunt antiqui aliqui vniuersim, ut Hugo de S. Victore, Gratianus, Guilielmus Parisiensis, & inclinabat Magister sent. apud Vasquez q. 88. a. 1. n. 3. aliqui apud S. Bonavent. limitarunt ad quatuor genera peccatorum, per quæ volebant redire priora peccata, quæ hoc verbum comprehendebant:

Fratres odit, Apostata fit, spernitque fateri.

Pœnituisse piget, pristina culpa redit. Aviter sunt hæc quatuor. Odium & crudelitas proximum: Apostasia: Contemptus Confessionis: Derectatio seu improbatio factæ aliquando pœnitentiae.

Dicendum est, peccata non redire, potiusquam semel dimissa sunt. Conclusio hæc quoad questionem facti, seu defacto, est jam in causa, ut aliqui eam existiment esse de iure. Probatur maxime ex Gelasio Papa, in cap. divina, de pœnit. dist. 4. Divina, inquit, Clementia dimittit peccata in vltionem redire non patitur. S. Prosperus S. Augustini discipulus, ad capitula Gallorum in resp. ad. 2. Qui, inquit, recedit à Christo, & alienus à Gratia finit hanc vitam, quidni in pœnitentiam cadit? sed non in quod remissum est, recidit.

Probatur deinde partim ratione, partim ex Scriptura. In Scriptura dicitur Deus pœnitentibus simpliciter remittere peccata, sicut qui alibi debitum aliquod condonat: atqui debitum absolute condonatum non redit per contritionem novi debiti: condonatio autem condonatio, nisi novum debitum contrahatur; non est simpliciter condonatio, sed est suspensa vsque ad eventum conditionis. Ratio huius Conclusionis motivabitur ex dicendis de potentia absoluta.

949. Obijciunt præcipue parabola Mithæ, ubi servus crudelis in convivium suum, trahit tortoribus, donec reddat vniuersum debitum, quod paulò antè erat dimissum. P. Arriaga rejiciens alias interpretationes putat esse intelligendum de debito de novo contracto, quod dominus exegit. Sed hæc interpretatio indest textui, & est contra sensum DD. qui omnes intelligunt de debito prius condonato.

Tres sunt interpretationes. Prima, quod redeat prius debitum virtualiter & secundum quid, quia ratione ingratiitudinis subsequens peccatum sit gravius peccatum, & ita occasione peccatorum dimissorum crescit poena posterioris peccati. Hanc interpretationem amplectuntur aliqui RR. non tamen in eo rigore & sensu, quo antiquiores aliqui, quorum meminit Magister sent. apud S. Thomas q. 88. a. 3. in 1. arg. in C. quali circumstantia ingratiitudinis tanta sit malitia, quanta erant simul omnia peccata præcedentia remissa, ita ut reus huius circumstantiæ sit reus æquivalenter totius odij & vindictæ, cujus esset, si nunquam priora dimissa fuissent. Hæc opinio est falsa & refutata à S. Thomæ; sed sensus interpretationis est, quod circumstantia ingratiitudinis augeat aliquantulum & secundum quid gravitatem peccati post justificationem commissi.

Secunda Interpretatio est Vasquezij, quod scilicet speciale hoc peccato crudelitatis, vel per rationem illius permittat hominem labi in peccata vel tam gravia, ut adæquet debitum eorum prius remissarum.

Tertia interpretatio est Maldonati, quod approbat P. Dicastillo, Christum Dominum legem